

Tabula v. Asiæ.



DE ASSYRIA ita scribit Augustinus: Assyria ab Assur, filio Sem, appellata est. Et in ea rarò pluit, quicquid in ea frumenti provenit, fluminis irrigatione paratur, non sua sponte, ut in Aegypto, sed accolarum ingenio & labore, tanta alioquin ubertas, ut ducentena uulgò, & ubi eximie ferax, trecentena messe redundet tellus, quaternum digitorum latitudine tritici & hordei folia sint: sesami & milij proceritas, arborum instar attollatur. Quæ omnia sibi explorata, cunctantius tamen Herodotus memoranda censuit, uelut parùm credibilia, si ijs, qui ea non uiderint, talia proderentur. Palmis uescuntur, ex quibus mel & uinum conficiunt. Fluvialibus nauigijs utuntur, in speciem clypei orbicularis, non puppi, non prora discretis, quæ super Assyria in Armenia salicibus texuntur, crudo corio exteriori parte obducto. Amiciuntur Assyrij duabus tunicis, linea una, ad pedes demissa, altera linea breui, candidaq; stola his super iniecta. Calceos pedibus inducunt, quales Thebanæ soleæ fuerunt. Comas alunt, mitraq; redimunt, unguentis delibuti, in publicum exeunt. Annulum signatoriũ singuli habet, & sceptrum affabre tactum, cui malum aut rosæ, aut liliũ, aut aliud simile sit impositum. Ex legibus, quibus ea gens usa dicitur, ea mihi res memorabilis uisa est, q̃ uirgines iã maturæ uiro, in publicum productæ, singulis annis, ijs uenales proponebant, qui uxores ducere uellent, dabaturq; primò uenum formosissime quæq;. Quibus minus spectata erat forma, & quas non modo nō quisquā sibi mercaturus fuisset, sed ne gratis alioqui ducturus, ea pecunia, quæ fuerat pulchrioribus uenditis, in publicum redacta, cōnubio locabantur.

De babyloniorum lege.



BABYLONIORVM altera lex, quò utilior, eò magis memorabilis, cum nullus ab initio in his esset medicorum usus, lege ferūt comparatum, ut qui ægrotare ccepisset, eos de morbo consuleret, qui idem languoris genus passi essent, medicāq; ad id leuandum opē aliquam experti. Apud alios scriptum reperio, in publicum ægrotos deferri solitos, legeq; cautum, ut qui aliquādo egrotassent, male affectos circuirent, docerentq; singulos, qua ipsi ope potissimum adiuti, aliquando morbo defuncti essent. Eorum sepulchra in melle. funebris luctus, qui & Aegyptijs. Qui cum uxore noctu congressus est, nil prius uterq; tangit q̃ lotus fuerit. Omnibus Bahyloniorum mulieribus, olim mōs fuit, ex causa quadam, in aliqua re uenerea cum hospite permisceri, cum turba & cultu plurimo ad illum uenientibus, quælibet noto aliquo coronabatur: hospes quam cognoscere uolebat, ponebat super illius genu argentum, quātū sibi uidebatur, tū coibat cū ea, longē à fano abducta, argentū illud Veneri sacrum erat.

De Hyrcania.

HYRCANIA dicta à sylua hyrcana, quæ Scythiæ subiacet. Est autē syluis aspera, copiosa immanibus feris, Tigridibus, Pantheribusq;, & Pardis.

De Media.



MEDIA dicta à Medo, Medæ & Aegæi Atheniensium regis filio, Sagittandi, equitandiq; studiũ genti præcipuũ, ac penè peculiare, peruetusta & regũ ueneratio. Tiara, pileus, & manicatæ uestes ab his ad Persas cum imperio fluxere. Propriũ medorũ regũ fuit, plures uxores ducere, mox ad priuatos translatum, ut minus septem habere non liceret. Pulchrũ & foeming, multos habere uiros, pauciores quinq; calamitatem arbitrari. Regio sterilis est, quā ad septentrionem obuersa est, quo fit, ut ex malis in hunc usum exiccatis, ac contusis, massam conficiant: ex tostis amygdalis panem ex herbarum radicibus uinum, ferinis carnibus plurimum uictitantes.